



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 3. Quotuplex est Irregularitatis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

Porrò non prohibetur usus jurisdictionis, quæ exerceri potest sine actu Ordinis. Hinc Parochus irregularis potest delegare ad Sacramenta suis Parochianis ministranda, quamvis ei non liceat illa ministrare. Validè tamen absolvet, cum non privetur potestate Ordinis nec jurisdictionis.

2. Inhabilem reddit ad Beneficium recipiendum, si sit totalis, ita ut collatio facta irregulari, saltem qui non potest omnia ejus munia obire, sit nulla, ex c. 2. *de cler. pugnans* & c. 18. *de sent. excom. in 6.* ubi dicitur esse ineligibilis. Quia Beneficium datur propter officium, & ad hoc ex se ordinatur; cum ergo irregularis sit inhabilis ad officia exercenda, est etiam inhabilis ad Beneficia recipienda. Quare qui in irregularitate Beneficium recipit, non potest illud retinere sine nova collatione, nec fructus ejus percipere. Idem dicitur de Dignitate & Prælatu regularium, ex c. 12. *de pœnis*. Clericus autem per irregularitatem non privatur Beneficio ante obtento, nec ejus fructibus, modò recitet horas & alia munia per alium exerceri curet, ex c. 5. *nec clerici vel mon.* debet tamen Beneficio privari. *ibid.* ex c. 10. *de excess. Prælat.* Imo sponte illud resignare, si dispensatio brevi tempore impetranda non sit, quia Beneficium retinere non debet, qui per se ipsum non potest officium ullum vel præcipuum præstare.

Q. 2. Quotuplex est Irregularitas?

Resp. Dividitur 1. in eam quæ est ex defectu

ctu

Etia, scilicet inculpabili; & in eam quæ est ex delicto. 2. In totalem, quæ omnium Ordinum susceptionem & usum impedit; & in partialem, quæ tantum aliquem actum Ordinis impedit.

Q. 4. Quenam sunt irregularitates ex defectu?

Resp. Sequentes. 1. Est ex defectu animi, five rationis, sciennæ, & fidei obfirmatæ, propter quem irregulares sunt 1. pueri, amentes, furiosi, energumeni, lunatici. 2. Illiterati, seu non habentes doctrinam necessariam, c. 1. dist. 36. 3. Neophyti, seu adulti ad fidem recens conversi à Paganismo aut Judaismo, c. 1. dist. 43.

2. Est ex defectu corporis, ex quo irregularis est, quicumque talem habet corporis defectum, deformitatem aut morbum, ut vel non possit absolutè, vel non nisi cum magna indecentia, vel periculo, vel spectantium horrore aut offensione exercere actus Ordinum, *extit. de corpore vitiatis*, & *tit. de Clerico egrot.* & *ex dist. 55.* in dubio autem num deformitas vel indecentia sit sufficiens, Episcopi est iudicare, c. 2. *de corpore vit.*

Hinc irregulares sunt 1. Cæcus, surdus, & enormiter claudus, ut si nequeat sine baculo vel pede ligneo ire ad altare. 2. Carens naso, manu, pollice vel indice. 3. Carens uno oculo cum notabili deformitate; secus si habens duos oculos, dextro non videat, vel etiam juxta multos sinistro, modò Canonem Missæ  
fine